



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Machvmetis Saracenorum Principis, Eivsqve Svccessorum
Vitae, Ac Doctrina, Ipséque Alcoran**

Bibliander, Theodor

[Basel], [1543]

VD16 VD16 K 2583

Mandvctio ex ijs quę in mundo sunt, ut uideatur Deus trinus. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98259)

ET ut per sensibilia in foecunditatem intellectus, & de illa in diuinam te eleues foecunditatem: attende, dum uides tot pulchras & varias structuras ciuitatum, templorum, castrorum, & ædificiorum, tot uarios pannos, tot picturas & ornatus, tot linguas, tot scientias & artes, atq; libros, tot dulcissimas harmonias, tot delectabiles dictiones, tot ordinatas politias, & alia innumera esse opus simplicis atq; * rini intellectus, inuisibilis & nullo sensu perceptibilis, à quo hæc omnia exiuerunt, & non exiuisent, nisi in eo intellectualiter multo altiori gradu præexisterent: & mirabilem ualde uides intellectum, tunc ascende ab intellectu ad creatorem ipsius, & omnium, ut uideas eius diuinam foecunditatem, quomodo intelligentie, coeli, stellæ, sol, luna, elementa, et omnia quæ sunt, uiuunt, & intel ligunt, sunt opus simplicissimi atq; foecundissimi creatoris: & quod creatio, est ostensio eorum quæ semper & æternaliter in mente ipsius fuerunt ipse, & in arte seu sapientia semper & æternaliter fuerunt idem ipse, & in bene placito uoluntatis suæ æternaliter fuerunt idem ipse deus benedictus. qui diuitias gloriæ suæ ex mera bonitate sua ostendit, sicut diues intellectus ad ostensionem gloriæ suæ se in operibus suis ostendit & communicat, & ea quæ intra se habet intellectualiter, quanto præcisius potest, sensibiliter nititur explicare, ut sic iuxta naturam boni se diffundat, & participabilem faciat. & uidebis deum simplicissimū, ineffabiliter diuitem & pulchrum, atq; plenum omni foelicitate uitæ gloriofæ. de cuius diuitijs, ipse tot lucidas intelligentias formis plenas, tot splendidas stellas, tot uiua animalia, tot dulcissimos odores, & sapores, atq; pulcherrimos flores, & cætera innumerabilia produxit & ostendit.

MANDVCTIO EX IIS QVAE IN MVNDO

sunt, ut uideatur Deus trinus.

CAP. V.

ET quia Mahumet in eo quod deum credit creatorem omnium, etiam de illo asserit necessario quæ de eius trinitate Christiani confitentur: ideo ut ad diuinam foecunditatem partum, & amorem omnis Arabs possit quantum sufficit fidei, pertingere: iterum dicimus, mundum istum sine foecunditate, prole, & amore non posse perseuerare & subsistere, certissimum esse. Nam his sublati, mundum deficere oportet, & foecunditate, partu, & amore unus est mundus: unius igitur mundi sunt foecunditas, partus, & amor. Nec foecunditas prole, & amo est alius mundus, & partus alius, & amor alius: sed sunt unus & idem mundus, & sic hæc sunt unius mundi, ut nihil mundi sit sine illis. Participatur enim foecunditas mundi, & partus, & amor, in angelis angelice, in hominibus humane, in brutis brutaliter, in uegetatiuis uegetaliter, in mineris mineraliter, in coelis coelice, in sole solariter, in luna lunariter, in stellis stellariter, in entibus entice, in elementis elementariter, in uiuis uitaliter, in intellectualibus intellectualiter, & ita de singulis suo modo. Et unde habet mundus illa ut sit necessariò ita trinus, sicut unus, nisi à creatore? Si igitur sine hac trinitate mundus naturam non haberet, nec naturalem perfectionem, nec benedictionem à Deo consideret, quæ in unitate essentiae sic triniter lucet, quomodo dicemus creatorem, ista perfectione naturali carere, quam omnibus tribuit, ut sint meliori modo quo esse possunt? Sicut igitur creatum est, unitarium: ita & creator, cum creatum à se nihil sit, & omne id quod est in hoc subsistat

sistat, quod est imago & similitudo creatoris. Trinitas igitur quæ in creatura uideatur, est à trinitate increata tanquam imago ab exemplari, & causatum à causa. Est igitur unitrinus Deus, qui creauit unitrinum mundum ad sui imaginem & similitudinem. In diuina igitur natura, est fecunditas, proles, & amor. Fecunditas, Deus est, qui & origo & pater: proles autem ipsius fecunditatis, filius: amor, nexus utriusq[ue].

Deus unitrinus,
quemadmodum
et mundus ab
eo creatus.

MANVDVCTIO DE INTELLECTIVA

li Trinitate ad diuinam, Cap. VI.

ET ut in creatura magis deo simili, imaginē illius uideamus, ad naturam intellectuale[m] inspiciamus. In ipsa enim natura intellectuali speculatiua, quæta ut fecunditas, proles, & amor, ostendunt nobis libri innumerabiles contemplatiuorum. Quot theorematum circa ueritatem generauit intellectualis fecunditas: quot delectationes processerunt ab illis, & suauitates spirituales: quæ fecerunt illos pro nihilo habere gaudia huius mundi. Sic de intellectu practico dicendum, ut supra tetigimus. In illa enim natura intellectuali est fecunditas, quæ de se generat uerbum, seu conceptum intellectualem: & ab ipsis procedit amplexus, seu uoluntas. Quando enim mens, uerbum, seu noticiam generat, statim procedit amplexus, seu uoluntas. sicut enim id quod non scitur, non amatur: ita non potest non procedere à mente & noticia uoluntas. Scientia enim est de numero bonorum honorabilium: bonum autem est quod appetitur, omnia enim bonum appetunt. Ita patet, quo exemplo duci poterimus ad diuinam trinitatem. Deus enim non potest dici ignorans seipsum: si autem se intelligit, de se conceptum seu uerbum suspensus generat, nec est idem, generans uerbum & genitum, seu concipiens & conceptum. nec aliud in essentia diuina, cum Deus suspensus conceptum talem generet, quod non possit esse perfectior. Erit igitur æqualis æqualitate substantiali, quæ est perfectior accidentali: quare nequaquam alterius nature seu essentia. sic nec amor ab ipsis procedens, potest dici ea à quibus procedit: nec potest dici aliud, cum sit perfectissimus ante omnem alteritatem: quare consubstantialis illis, à quibus procedit, & hoc intenditur.

Natura fecunditas, proles, amor.

Voluntas à mente & noticia.

MANVDVCTIO EIVSDEM PER AMOREM.

Cap. VII.

ADhuc ut ratione utentes, uideant nos qui trinitatem credimus, rationabiliter moueri, alio exemplo ad idem procedamus. Nemo est qui non uideat, amorem omnino necessarium ad hoc quod mundus subsistat: quoniam eo sublatop, penitus nihil subsistere potest. In naturis intellectualibus & uitalibus amorē reperiri, sicut & in omni quod subsistit, suo modo certum est. Priuabimusne deū amore, qui est creator & dator omnis amoris? Si igitur Deū dicimus amorem habere, utiq[ue] id est quod habet. Deus igitur, essentialis charitas, seu amor est. Quoniam autem amor unit, amor perfectissimus qui maior esse nequit, neq[ue] minor, cum sit substantialis, maxime unit. Video igitur in essentia ipsius amoris unitatis, unitatem, quomodo enim esset unus uniens amor, sine unitate? Video etiā æqualitatem in ipso. Nam amor gignit sui ipsius æqualitatem, scilicet amorem, uti dicitur: Si uis amari, ama. Vnitas igitur generat æqualitatem. Video deinde procedere ex unitate amoris & eius æqualitate, utriusq[ue] connexionē, scilicet amorem connectentē unitatem amoris generantis, & æqualitatem amoris geniti. Amor igitur est cōnexio patris, & eius filij, à quibus procedit. Certum est autē, unitatem esse ante omnem multitudinem: quare aeterna est. Aequalitatem ante omnē pluralitatem, quia plura eo ipso quod plura sunt inæqualia. Cadit igitur ab æqualitate inæqualitas.

Amor ad mundi subsistentiam necessarius.

Vnitas, Aequalitas.